

nunt; vel annuas pensiones offerunt; vel pro aliis beneficia impetrant, ut sibi aliquid ab eis conferatur; vel impetrant pro seipſis cum intentione resignandi illa, reservata sibi pensione; vel non reservata, ad favorem tamen alterius. num. 687. Decimosecundo, vacant ipſo facto beneficia, si electus intra mensem a tempore presentatæ sibi electionis; vel a tempore sibi præstito non consenserit electioni, & post consensum non petierit confirmationem. Decimotertio, vacant beneficia per alienationem rerum Ecclesiæ, vel ipsius beneficii, sine debita solemnitate. num. 688. Beneficiis per sententiam iudicis privari possunt, perjurii, blasphemii, ultra annum in excommunicatione inſordescentes, perversores Clerici, concubinarij ter moniti, incendiarii, residere nolentes, banniti, adulteri, alearores, usurarii, & similia crimina committentes, num. 690. 691.

102. Quinque modis beneficia extinguuntur, vel alterantur: Suppressione, dismembratione, divisione, erectione Ecclesiæ in Parochialem Collegiatam, aut Collegiatæ in Cathedralam, & unione. Beneficiorum tunc datur suppressio, quando beneficia alicujus Ecclesiæ ob diminutionem reddituum, & eorum insufficientiam ad tot Clericos decenter alendos ad minorem numerum reducuntur. Ut hæc suppressio licite fiat, debet adesse iusta causa; nempe reddituum diminutio rite probata. Episcopus & non alius debet in Cathedralibus, & Collegiatis ad Præbendas tenues, si fieri potest, aliqua beneficia simplicia unire; si vero hoc fieri nequeat, eas ad minorem numerum reducere potest, cum consensu patroni, si laicus sit. Tract. 28. cap. un. num. 692. 693. 694. Hanc suppressionem ex iusta causa Episcopus facere potest, etiam si Canonicorum numerus sit auctoritate Pontificis constitutus, vel confirmatus. Non potest tamen mensuræ suæ, aut Cathedralis, vel Collegiatæ fructus Præbendarum suppressarum applicare; bene vero illos dignitati, Capellæ, aut beneficio, aut singulis Canonicis annexere; vel earum redditus perpetuo applicare usui fabricæ Ecclesiæ n. 695.

103. Dismembratio in eo consistit, quod aliqua bona, fructus, seu redditus beneficii alteri applicentur, relicto intacto titulo beneficii. Ut licite, & valide fiat, requiruntur eadem causæ, & solemnitates quæ pro rebus Ecclesiæ alienandis requiruntur. Nequit Ordinarius dismembrare beneficia curata, & ea unire beneficiis simplicibus; nec separare ab Ecclesiis Parochialibus beneficia simplicia illis unita. Tract. 28. cap. un. num. 696. Beneficiorum divisio nihil aliud est quam quod ex uno Beneficio, Canonicatu, aut Parochiali plura fiant: Quæ utique divisio ex iusta, & rationabili causa, servatisque conditionibus in rebus Ecclesiæ alienandis requisitis, licita est. num. 697. Quartus alterationis beneficii modus est per Ecclesiæ erectionem ad statum superiorem, ut cum Parochialis erigitur in Collegiatam, aut Collegiatæ in Cathedralam; quod solus summus Pontifex facere potest. Verum erigere Ecclesiam simplicem in Parochialem, si adfit iusta causa, & necessitas, non excedit facultatem Episcopi. num. 698.

104. Quintus, & ultimus modus quo extinguuntur, vel saltem alterantur beneficia est unio quæ est Ecclesiarum, vel Beneficiorum ab Episcopo, vel alio Superiore facta æternis. Alia est temporalis, alia perpetua. Unio temporalis est quæ pro determinato tempore, V. G. ad aliquam vitam durat; perpetua vero quæ in perpetuum, & sine fine stabilitur. Utraque tribus modis fieri valet. Primo, si ex duobus beneficiis unum fiat. Secundo, cum una Ecclesia, seu Beneficium alteri subijcitur; & tunc ejus cui unitur, fruatur privilegiis. Tertio, cum Ecclesiæ, vel beneficia æque principaliter vniuntur, & neutrum alteri subijcitur, sed utrumque retinet suum gradum; & honorem, & idem minister utrique præficitur. Tract. 28. cap. un. num. 699. Omnia beneficia cujuscunque sint generis uniri valent. Ut Ecclesiæ, & Beneficia uniri possint requiruntur Ecclesiæ necessitas, vel utilitas; si autem sine causa, aut facta ex causa, etiam servata juris forma ab Ordinario fiat, nulla est ipſo jure n. 700. 105.

105. Ad beneficiorum unionem tria requiruntur. Primo, quod citentur omnes jurum interest in unione faciendâ, alias ex jure communi invalida est: Quod si beneficium Monasterio sit unicum, requirendus est consensus Superioris Regularis. Secundo, in beneficiorum unione debet exprimi eorum valor, scilicet tam Beneficii uniendo, quam ejus cui unitur. Tertio, si unio fiat a Legato, vel Episcopo debet exprimi, & cognosci causa unionis, aliter invalida est. Tract. 28. cap. un. num. 701. 704. 705. Probabilius est, non posse Episcopos hodie Beneficia unire, absque consensu Capituli Cathedralis. Si tamen Capitulum consentire nolit, & alias iusta causa adfit, potest Episcopus unionem perficere, vel Capitulum ad consentiendum compellere. Non est autem necesse quod Capituli consensus unionem præcedat. Potest etiam Episcopus, ubi talis consuetudo adest, absque Capituli consensu Beneficia unire. num. 702. 703.

106. Summus Pontifex potest omnia, & quæcunque Beneficia, tam majora, quam minorâ unire. Tract. 28. cap. un. num. 706. Etiam Episcopus spectato jure communi potest ex legitimis causis omnia suæ Diœcesis beneficia unire: & hanc potestatem habet etiam Episcopus confirmatus, nondum consecratus. Non solum valet Episcopus unire suæ Diœcesis Beneficia propriæ jurisdictioni subiecta, sed etiam Beneficia generaliter, vel specialiter Pontifici reservata, quia reservatio solum tendit ad collationem Beneficii; Unio autem fieri potest sine præjudicio collationis. num. 707. Potest Archiepiscopus suæ Diœcesis Beneficia unire sicut Episcopus, non tamen in suffraganeorum Diœcesibus Beneficia unire valet. n. 708. Capitulum, sede vacante, potest Beneficia unire sicut Episcopus; dummodo per unionem nihil jurisdictioni Episcopali detrahatur; nec sibi Capitulum Beneficia uniat, num. 709. Abbates, alijque Prælati inferiores jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, nequeunt in Ecclesiis sibi plene subiectis unionem facere, nisi ex speciali privilegio, aut consuetudine

immemorabili legitime præscripta. De unione Monasteriorum V. tract. sequ. Legatus a latere in Provincia sibi demandata Beneficia unire potest. num. 711.

## CAPUT II.

*De Horis Canonicis.*

## §. I.

*De Horarum Canonicarum recitatione publica, & in communi.*

107. **E**X jure Canonico in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Regularibus, & Parochialibus est obligatio dicendi publice Officium divinum singulis diebus, nisi ex instituto proprio a Sede Apostolica approbato, ab hoc deobligentur. Verum in aliquibus Ecclesiis, ex consuetudine jam introducta, solum pro diebus festivis hoc observatur; vel totaliter ablata est hæc obligatio. Tract. 16. cap. 1. num. 3. Vbi consuetudo viget publicæ recitationis, sub gravi culpa tenentur earum Ecclesiarum Superiores curare, ne unquam Horæ Canonicæ omittantur; & si Superior neglexerit, ad hoc sub eadem obligatione tenentur alii de illius Ecclesiæ Choro. num. 4. Ex jure communi (quidquid sit de particularibus statutis, vel consuetudinibus: ) nullus Religiosus particularis sub gravi culpa tenetur horas in Choro dicere. num. 5. Obligatio communis ad recitandum in Choro, seu publice divinum Officium, potest per solos Novitios sufficenter impleri. Debent ad satisfaciendum tali obligationi, quatuor ad minus Religiosi convenire, si commode fieri potest. Si in Monasterio non adfuit saltem quinque expediti, cessat hæc obligatio; nec infirmi, aut in eorum assistentia, aliisve gravibus obligationibus occupati computari debent. num. 6.

108. In publica recitatione servandus est ordo, locus, & tempus ab Ecclesiâ præscriptum; prout in consil. S. Rii V. Quoad

Quoad tempus recitationis consuetudini standum est. *Tract. 16. cap. 1. num. 7.* In Ecclesia, vel Choro recitandum est; ita ut sit peccatum mortale illud in Sacratio, Capitulo, vel alio loco communiter recitare, nisi consuetudo, vel gravis necessitas excuset. num. 8. Ordinem invertere in publica recitatione, ( ut si Horæ Canonice statutis temporibus non dicantur; si quæ prius dici debent, dicantur posterioribus; si interruptur recitatio per multum tempus, ) ex gravi, & urgenti causa non est peccatum mortale. Similiter non erit mortale hoc ter, vel quater in anno facere, etiam ubi talis consuetudo non viget. Recitationem publicam anticipare, vel postponere per unam circiter horam præter consuetudinem, non censetur gravis alteratio, nec peccatum mortale, nisi grave scandalum sequatur num. 9. Si Prælati nulla interveniente gravi causa frequenter anteponeat, vel postponeret per multum tempus publicam recitationem, vel ordinem inverteret, vel cum magno intervallo interrupteret, peccaret mortaliter. Poterit tamen ex justa causa Episcopus cum Clericis, & Prælati Regularis cum suis subditis semel, aut iterum dispensare, ut Horæ Canonice statutis temporibus non dicantur. num. 11.

109. Tarde accedentes ad Chorum non tenentur supplere quod jam dictum est; nisi Chorus notabiliter processerit, v. g. in matur. ultra primum, vel secundum Psalmum. Similiter si ex aliqua causa impeditus non recitet, ut si fluat humor e naribus, etiam ob id Choro exeat, & interim integer Psalmus recitetur, non tenetur supplere. Si quis non recitata Prima, vel alia Hora accedat ad Chorum, poterit absque culpa satisfacere, eam recitando post Chorum. *Tract. 16. cap. 1. num. 12.* Prælati permittere non debent ut unum Officium pro alio in Choro recitetur. Poterunt tamen precioso scandalo, & justa causa, pro una vel altera vice in hoc dispensare. num. 13. Peccat mortaliter Prælati in communi sententia, & omnes ad id cooperantes, si permittat per integrum diem omnes

Horas in Choro omitti, vel etiam unicam integram, aut notabilem ejus partem. Datur tamen in hoc parvitas materia. Quare non erit mortale, etiam sine causa, aliquam commemorationem omittere, vel brevem Psalmum; & cum justa causa, nec erit veniale. num. 14. 15.

110. Si quid in Choro præter intentionem, bona fide, aut per errorem omititur, vel mutatur, non est tunc, vel postea in Choro repetendum aut dicendum, quia Chori obligationi satisfactum est; & hoc ad nihil aliud deservit nisi ad confusionem, & ad manifestandum defectum; quod multi indebite faciunt. Omisio unius integri Psalmi non exigui, in publica recitatione voluntarie facta, est peccatum mortale. *Tract. 16. cap. 1. num. 17. 18.* Qui occupantur in rebus ad Chorum pertinentibus, v. gr. in pulsandis Organis, vel Campanis, in libris deservendis, & hujusmodi satisfacit, etiam si tunc non recitet. Idem dicendum de eo qui recedit, seu prævidet lectionem, quam lecturus est. n. 19. Quæ ab Organis, vel aliis instrumentis pulsantur, a singulis submissa voce, vel ab uno pro omnibus alta voce dicenda sunt. n. 20.

111. Officium parvum B. V., vel Defunctorum etiam in Choro omittere non est peccatum, nisi adit consuetudo illud recitandi, ut est apud nos consuetudo recitandi Officium parvum B. V. cum fit de feria; cum enim eam S. Pius V. servari jussit, illud in Choro omittere erit peccatum mortale: Qui autem Choro non interfuit ad illud non tenentur. Immo nec omnes qui in Choro sunt illud recitare tenentur, dummodo ab aliquibus in communi recitetur. *Tract. 16. cap. 1. num. 21.* Officium Defunctorum diei 2. Novembris est pars Officii divini, & obligat sub mortali: Qui autem utrumque Officium tali die omittet unicum peccatum committeret. n. 22. Litanæ S. Marci, & Rogationum obligant sub mortali communitatem, & in probabiliore sententia etiam singulos ad recitationem privatam. num. 23. Recitans in Choro suam partem, & non atten-

attendens ad partem, quæ ab alio Choro dicitur, ut quantum in se est illam audiat, non satisfacit suæ obligationi: si vero quamvis attendat, non possit audire, vel quia qui communiter legit, submissa voce legit, vel quia sit strepitus, vel quia iurdafter est, si saltem in consulo audiat, certum est satisfacere; si vero nec sic audiat adhuc probabilius est satisfacere; secus dicendum de recitante privatim cum alio, si surdus sit. num. 24. Recitans in Choro satisfacit, etiam si ita submissè legat, ut ab aliis non audiat: dummodo pars Chori in qua ipse est audiat ab altera parte. n. 25.

112. Breviarium Romanum sequi tenentur omnes, exceptis Religionibus, & Ecclesiis, quæ ante annum 1368. aliud habebant, idest per annos 200. ante Constat. S. Pii V. *Quod a nobis, 1570.* Peccatum mortale est juxta aliud breviarium quam S. Pii V. Officium persolvere, ubi receptum est, etiam si semel tantum hoc fiat. *Tract. 16. cap. 1. nu. 26. 27. 28.* Episcopi Religiosi, & loci cum eis recitantes possunt Officium recitare, juxta ritum suæ Diocesis. Idem dicendum de recitante cum alio, qui habet privilegium recitandi aliud Officium, vel ante tempus; poterit enim eodem uti privilegio, & simul suæ satisfacere obligationi. Religiosi, qui tenentur juxta Breviarium Romanum recitare, possunt ratione itineris, vel ex alia justa causa recitare, sive cum alio, sive per se solos juxta aliud Breviarium: ita ex Privilegio minoribus concessio. num. 29. Regulares possunt recitare Officium de Sanctis Diocesis, sed non tenentur nisi ad officia Patroni, & Dedicationis Cathedralis num. 30. Capellani Monialium, qui Missam Conventualem tenent dicere, potest licite se accommodare illis recitando Officium de Sanctis, & festivitibus illarum. n. 31. Episcopus nequit facere, ut Clerus suæ Diocesis recitet Officium de alio Sancto, quod non sit juxta rubricas Breviarium Romani. nu. 32. De Sanctis quorum in Ecclesia, vel Monasterio habe-

tur insignis Reliquia, ut caput, brachium, crus vel, pars in qua passus est martyr, celebrari potest Officium etiam sub ritu duplici. nu. 33.

## S. II.

*De obligatione recitandi privatim Horas Canonicas.*

113. Ex antiqua generalissima, & receptissima consuetudine omnes in Sacris constituti a die, quo Sacris initiati sunt, tenentur sub mortali Officium Canonicum recitare, etiam si excommunicati, suspensi, interditi, aut degradati sint, exceptis damnatis ad trimeses. *Tract. 16. cap. 2. num. 3. 4.* In minoribus constituti, nisi beneficium habeant, nec ad Officium Canonicum, nec ad Officium parvum B. V., nec ad Psalmos penitentiales, aut graduales tenentur. num. 5. Eo die quo quis Ordinatur, vel beneficium recipit, aut Professionem emittit, non tenetur ad totum Officium, sed tantum ad Horas temporis subsequenti correspondentes. n. 6. Episcopus cum toto Clero dispensare non potest, ut in sacris constituti divinum Officium non dicant; immo nec cum aliquo particulari ad longum tempus. nu. 7. Peccat mortaliter, qui nec habens Breviarium, nec recitare sciens sacris initiatur, vel beneficium recipit; nisi bona fide excusaretur. nu. 8.

114. Religiosi Professi Choro deputati, nondum in sacris constituti, & Moniales tenentur quotidie sub mortali Officium divinum recitare, non quidem ex vi alicujus præcepti divini, vel humani, nec ex vi Professionis, sed tantum ex consuetudine legitime introducta. Religiosi vero Societatis Jesu non tenentur, nisi sint in sacris constituti, quia Choro deputati non sunt; nec Religiosi sacris non initiati, aut Moniales dispensati a Pontifice ad contrahendum Matrimonium, quia con tracto Matrimonio amplius Religiosi non sunt. *Tract. 16. cap. 2. num. 9. 10.* Ejectus in perpetuum a Religione, licet versus Re-

ligiosus remaneat, & tribus votis substantialibus teneatur, ad Officium tamen divinum sub mortali non tenetur, sicut nec ad alias observantias regulares. Fugitivi, & Apostatae minime ab Officii divini obligatione eximuntur. nu. 10. Cum Religiosis Professis non constitutis in sacris facilis possunt Praelati Regulares dispensare, ut divinum Officium non recitent, quam cum constitutis in Sacris. n.20.

115. Quilibet beneficiatus licet non in sacris constitutus, sive simplex, sive curatum beneficium libere receptum possideat, tenetur quotidie sub peccato mortali Horas Canonicas recitare. Secus si coacte, metu saltem reverentialem beneficium recipit, nisi adhuc velit frui fructibus beneficii, tunc enim obligatur recitare. Hoc loco beneficii nomine veniunt: Episcopatus, Rectoria, Canonicatus, Dignitas, Praepositura, &c. item Praesimonia illa, quae sunt Portiones quaedam ex beneficii redditibus deductae: item Capellaniae collativae, quae videlicet auctoritate Episcopi erectae sunt, & constitutae inter bona Ecclesiastica, & ab Episcopo conferuntur, etiam si institutae sint ex bonis patrimonialibus laicorum, & Praesentatio sit ipsis reservata; exclusis aliis capellanis non collativis. Tract. 16. cap. 2. nu. 26. 27. Penso mere laicalis ad nullam recitationem obligat: pensio autem Clericalis, vel mixta obligat Pensionarium, non quidem ad Officium divinum, sed ad Officium parvum B.V., quod his Pensionariis loco Officii divini, & sub eiusdem penae, nempe sub obligatione restituendi fructus, in-junxit S. Pius V. Si tamen recitent Officium divinum, aliunde satisfaciunt, nec tenentur ad Officium parvum. n.28.

116. Coadjutoria, quae alicui conceditur, (assignata aliqua portione congrua,) pro futura successione, non obligat ad ullam recitationem, etiam Officii parvi; nam non est beneficium. Si Coadjutori assignentur aliqui fructus beneficii,

non per modum stipendii, sed per modum pensionis, tunc tenebitur ad Officium parvum, sicut alii Pensionarii. Si Coadjutori assignentur ex fructibus beneficii aliqui proventus, ad quorum titulum possit ordinari, tam ipse, quam Coadjutus tenebuntur ad recitationem Officii Canonici; quia tunc duo beneficia censentur. Si Parocho absentem, vel infirmo detur Coadjutor, vel alia ratio tenetur ad recitationem, qui omnes Parochi obligationes adimpleat, ad recitationem Officii Canonici, quam nequit praestare proprietarius, tenetur Coadjutor. Tract. 16. cap. 2. num. 29. Sunt aliqua beneficia, quae ex sua institutione non obligant ad Horas Canonicas, sed ad aliquas praeces, ut sunt aliquae simplices Praepositurae, Personatus, vel Prioratus, qui solum ad Officii parvi, vel aliquorum Placitorum recitationem obligant. Quae conferuntur ut proprium beneficium; quia exigunt Ordinem, vel tonsuram in recipiente, etiam si detur cum onere legendi, pulsandi Organa, vel aliud faciendi, nedum obligant ad haec munera praestanda, sed etiam ad recitationem Officii divini, quia sunt vere beneficia Ecclesiastica. n.30.

117. Plura habens beneficia, ad unicum tantum Officium recitandum tenetur; & si illud omittat, unicum peccatum committit. Etiam qui tenetur ad recitationem Officii divini, & ratione Ordinis Sacri, & titulo beneficii, si omittat recitationem, unicum peccatum committit; dummodo non habeat animum retinendi fructus correspondentes omissioni; tunc enim ex hoc capite aliud peccatum committit contra iustitiam. Tr. 16. cap. 2. num. 31. 32. Peccat mortaliter beneficiarius Officium divinum omittere, etiam si habeat animum restituendi fructus omissioni correspondentes. num. 35. Beneficiarius si ex culpa sua beneficii possessionem non accipiat, nihilominus ad recitationem tenetur. num. 36. Lite pendente, circa beneficii possessionem recitare

\* Quando dicitur quod Beneficiarius non tenetur recitare, & quod non peccat recitationem omitiendo, intelligendum est ratione beneficii: nam si sit in sacris constitutus, licet nec tenetur nec peccet ratione beneficii tenetur tamen ratione Ordinis sacri, & omitendo peccat.

recitare tenetur, qui titulum illius habet cum administratione, & cum moraliter certitudine quod fructus erunt sui. num. 38. Qui ob litem omisit recitare, potest si vincat, facere suos fructus beneficii correspondentes temporis omissioni: sicuti facit fructus suos, qui primis sex mensibus a receptione beneficii non recitat; licet iste peccet, non vero ille, qui ob litem omittit. Etiam non tenetur ad recitationem, qui pacifice ab initio possessionem accepit, & per duos annos in ea pacifice mansit, si postea ei lis super eodem beneficio moveatur; nisi vel certam spem habeat non amittendi fructus, vel alia certa emolumenta ex obventionibus, & servitiis, lite pendente, remaneant. nu. 39.

118. Si ab initio aliquis solum titulum beneficii recipiat, & ita disponente Pontifice, fructus omnes alteri applicentur, talis non tenetur interim recitare. Si quis ex sua culpa beneficii fructus non recipiat, v. gr. propter excommunicationem, suspensionem, non residentiam sine causa legitima; cum possit impedimentum auferre, recitare tenetur: secus si absolutionem obtinere nequeat, vel impedimentum remove. Per sententiam iudicis privatus fructibus beneficii, recitare non tenetur. Tract. 16. cap. 2. num. 40. Qui cum non sit idoneus beneficio, illud suscipit, & per alium cogitur inservire, cui omnes, vel fere omnes fructus confert, tenetur nihilominus recitare; quia ex culpa sua fructus non percipit. Si tamen inhabilitas proveniat ex eo quod non sit adhuc Sacerdos propter defectum aetatis; quia pro eo tempore per ipsum non stat quominus eos acquirat, recitare non tenetur. num. 41. Qui pro aliquo tempore non percipit fructus principales; accipit tamen, si in Choro assistat, & exerceat alia munera beneficii, distributiones quotidianas, vel alia stipendia, tenetur recitare, quia jam pro officio impendio sufficiens sibi ex beneficio stipendium perfolvit. Tract. 16. cap. 2. num. 41. Qui de praesenti nullos percipit beneficii fructus, sed certo sperat se po-

stea recepturum, tenetur Horas Canonicas recitare. n.42. Qui vi, fraude, vel dolo iniuste impeditur a perceptione fructuum beneficii, nec sperat sibi fore perfolvendos, ad Horas non tenetur. nu. 43. Probabilius est teneri ad recitationem eum, qui ex resignatione recipit beneficium, illudque administrat cum obligatione muneribus satisfaciendi, & interim reddendi omnes fructus in pensionem resignanti. Si statuto particulari, aut consuetudine sit introductum ut beneficiarius primo anno fructus non recipiant, tamen si inserviant: probabilius est adhuc recitationem teneri. num. 44. 45.

120. Beneficiarius plura habens beneficia tenuia, quibus omnibus competenter potest ex magna parte sustentari, etiam si quodlibet ad hoc sit insufficientis, tenetur ad recitationem. Tract. 16. cap. 2. num. 46. Etiam si beneficium tenue sit, probabilius est inducere obligationem recitationis, dummodo aliquos fructus habeat, licet non sufficientes ad congruam sustentationem. num. 48. Qui culpabiliter post sex menses a recepto beneficio recitationem omisit, tenetur fructus correspondentes tali omissioni restituere: secus si sine culpa laethali omisit ex oblivione, impotentia, invincibili ignorantia, aut aliquo legitimo impedimento: Qui vero per primum semestre non recitat, peccat quidem mortaliter, sed ad restitutionem non tenetur. num. 51. 52. Damnatur ab Alex. VII. Opinio 20. quae talis est: *Restitutio a S. Pio V. imposta beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam iudicis.* nam. 53. Etiam qui uno, vel altero die non recitat restituere tenetur, etiam si unicum tantum Horam omittat, nisi paritas materiae omissioni respondens a restitutione excuset. Qui partem levem in singulis Horis omittet, non tenetur ad restitutionem, quamvis ex omnibus coalesceret culpa gravis, quoad recitationem; quia restitutio imponitur unam horam integram, vel plures omittenti. n.55.56.

121. Qui voluntarie distractus recitat, probabile est, non teneri restituere, etiam si tante sententia, quod repetere teneatur. *Tract. 16. cap. 2. num. 57.* Beneficiarius habens alia munera beneficio annexa præter recitationem officii, probabile est solum teneri ad restitutionem illorum fructuum, qui præcise correspondent omissioni recitationis, non vero eorum, qui correspondent aliis muneribus, quibus satisfaciunt. Igitur Episcopi, vel Parochi ad quartam, vel quintam partem restituendam tenentur: Capellani, beneficiarii, qui præter recitationem alia munera habent, ad tertiam: simplices & beneficiarii ad omnes fructus omissioni correspondentes. Si Canonicus, Episcopus, vel Parochus præter Canonicatum, Episcopatum, seu Parochiam, aliud, vel alia beneficia habeant, omnes fructus beneficiorum simplicium omissioni recitationis correspondentes restituere debent. *n. 59.*

122. Restitutio fieri debet, vel fabricæ beneficii, vel pauperibus. Sub nomine pauperum etiam alia pia opera veniunt, & etiam suffragia, & Missæ pro defunctis. *Tract. 16. cap. 2. num. 60.* Si ipse beneficiarius, vel parentes ejus, aut consanguinei vere pauperes sint, potest sibi, vel illis applicare, etiam absque consilio, vel iudicio Confessarii, nisi ex conscientia applicationis hujus recitationem omiserit, vel aliquo speciali statuto, aut consuetudine hæc applicatio sit interdicta. *num. 61. 62.* Huic restitutioni non satisfiit per elemosinas ante omissionem recitationis factas, damnata ab Alexandro VII. propositione 33. Bene vero satisfaciuntur, si contra obligationem restituendi per omissionem, immemor illius elemosinas faciat, quæ debentur adæquent, & per eas postea satisfaciere intendat. *nu. 63.* Probabilis est beneficiarium, qui omisit verb. grat. heri recitationem officii, si hodie recitet duplex officium, & illud secundum applicet pro defunctis, satisfaciere suæ obligationi restitutionis: sic etiam per alia pia opera satisfactoria pro defunctis; vel per Bullam compositio-

nis, dummodo fructus illi non sint ex peculiari statuto aut consuetudine alieni operi, aut particularibus personis applicati, & beneficiarius recitationem non omiserit ex conscientia compositionis. *n. 65. 66. 67.*

## §. III.

*De modo, ordine, tempore, & aliis circumstantiis, quibus debet Officium Divinum recitari.*

123. Certum est apud omnes quod Officium Divinum debet vocaliter recitari, nec satisfaciere qui solum mentaliter illud perolveret, præcise aliquo privilegio a Sede Apostolica concessio. Debet quoque integre pronuntiari, non syllabas aborbendo, aut verba detruncoando. Verborum autem detruncoatio, vel syncopatio, si non fit in magna quantitate, ita ut verborum sensus deperdat, non erit peccatum mortale; nullum vero peccatum erit, si involuntarie ob defectum linguae, vel inadvertenter hoc fiat. *Tract. 16. cap. 3. num. 1. 2.* Interruptio Officii extra chorum, præcise contemptu, nunquam erit peccatum mortale, etiamsi sit per multum tempus, dummodo intra diem integre recitetur, erit tamen veniale si absque rationabili causa fiat interruptio. Cause excusantes etiam a veniali sunt verb. grat. Missam celebrare, sermonem audire, Superioris mandatum exequi, vel quodlibet aliud virtutis opus, & quælibet necessitas, vel utilitas propria, vel proximi, quando talia commode differri non possunt. Matutinum a laudibus absque omni culpa separari potest; idemque dicendum de singulis nocturnis: nec in tali casu, sive post Matutinum, sive post Nocturnum necesse est dicere Orationem diei, vel Pater noster, & Ave antequam inchoentur Laudes. *n. 3. 4.*

124. Quando quis solus recitat, non est necesse quod seipsum possit audire, & multo minus quod se ipsum de facto audiat, ad satisfaciendum præcepto. *Tract. 16. cap. 3. num. 5.* In privata

recitatione cum socio tenetur alternatim proferre versus Psalmorum: at Responsoria, Capita, Antiphonas, Lectiones, Orationes sufficit quod ab uno dicantur, alio tantum audiente. *num. 6.* Potest quis & præcepto audiendi Missam, & præcepto recitandi Officium eodem tempore satisfacere. *num. 7.* Horarum ordinem invertere, verb. grat. dicendo Laudes ante Matutinum, Vesperas aut Completorium ante Primam, ex rationabili causa, nullum est peccatum; si ne ulla vero causa, erit peccatum veniale. Idem dicendum de recitante Matutinum sequentis diei, ante finitum Officium præcedentis, vel etiam ante inchoatum. *num. 8.* Missam celebrare ante recitationem Matutini, absque ulla rationabili causa est peccatum veniale. *num. 9.* Invertere partes ejusdem Horæ Canonicæ, absque rationabili causa, est peccatum veniale; cum causa vero rationabili nullum peccatum est. Quare qui memoriter sciret Psalmos, potest exigente opportunitate illos omnes recitare, & postea Lectiones, Capita &c. vel e contra. *n. 10.*

125. Privata recitatio Officii in omni loco fieri potest, & etiam in locis immundis sine peccato. *Tract. 16. cap. 3. num. 11.* Peccat mortaliter qui aliquo die totum Officium, vel notabilem ejus partem omittit; nec obligationi satisfaciit quis, si ante, vel post debitum tempus illud recitet. Debitum autem tempus pro Matutino, & Laudibus est a Vesperis diei præcedentis, ad mediam noctem diei sequentis, id est ad punctum mediæ noctis terminativum diei sequentis; dies enim secundum consuetudinem Ecclesiæ incipit a puncto mediæ noctis, & terminatur in puncto mediæ noctis. Pro cæteris autem Horis incipit debitum tempus, a puncto mediæ noctis præcedentis, & finitur in puncto mediæ noctis subsequentis. Non desunt graves Auctores afferentes, posse post Vesperas neque Matutinum, sed & omnes alias Horas sequentis diei recitari; Consuetudo tamen recitandi tantum Matutinum diei sequentis omnino tenenda est. O-

mnnes Horas cum Vesp. & complet. summo mane recitare, absque ulla causa erit peccatum veniale: sic etiam si totum Officium fore dicatur; & gravius est intra limites venialis illud postponere quam anticipare: quævis autem causa, etiam levis a peccato veniali excusat. *n. 12. 13. 14.*

126. Probabilissimum est posse Matutinum diei sequentis, hora secunda post meridiem recitari. *Tract. 16. cap. 3. num. 15.* Non satisfaciit qui Matutinum seu quamlibet Horam diei incipit ante punctum mediæ noctis sequentis, & post mediam noctem absolvit; immo transito puncto mediæ noctis nihil ultra recitare tenetur de Officio diei jam transacti. Unico Officio satisfieri non potest duplici præcepto, scilicet hujus, & sequentis diei. *num. 16. 17.* Officio novem lectionum non satisfiit per Officium Paschale trium lectionum. Vide Propositionem damnatam ab Alexandro VII. 34. & 35. Probabilis est non satisfaciere suæ obligationi, qui Officium quod recitare tenetur, in aliud brevius, vel in æquale commutat: ac proinde peccat mortaliter qui, vel semel hoc facit, nisi id ex errore, vel inadvertentia contingat. Qui dicto Matutino adverterit se Officium indebitum recitasse, poterit vel prosequi illud, vel deinceps recitare de proprio illius diei. Qui per errorem recitavit diei crastinæ Officium, poterit crastina die, vel recitare Officium hodie omisitum, vel omisso penitus hodierno, recitare Officium crastinæ diei assignatum. *num. 19. 20. 21.*

127. Totum Officium omittens, unicum peccatum committit, nisi per voluntatis retractionem ille omissiones physice tantum distinxerit, etiam moraliter distinguantur. Una ex Horis minoribus, vel quantitas illi æquivalens censetur materia gravis, cujus omisso fit peccatum mortale; materia vero parva cæsetur, quæ ad quantitatem unius Horæ minoris non pertingit. *Tract. 16. cap. 3. num. 22. 23.* Ad adimplendum hoc præceptum requiritur intentio orandi,

di, sive Deum colendi, vel saltem suo muneri satisfaciendi. Si quis recitaret Officium cum expressa voluntate non satisfaciendi, si antequam finiatur tempus mutet voluntatem, & velit per illam recitationem satisfacere, adimplebit præceptum, nec peccabit quia per illum animum non satisfaciendi non potest impedire adimpletionem; peccabit autem si antequam finiatur tempus præscriptum non mutet animum, non quia non adimpleat, sed propter animum pravam non adimplendi. num. 24.

123. Triplex ad divinum Officium attentio esse potest: nempe ad verba: ad sensum: & ad Deum. Prima sufficiens est ad adimpletionem præcepti; secunda est melior; tertia optima, neutra tamen ex postremis duabus est necessaria. Et quia primam attentionem habere potest occupatus aliquibus rebus, quæ non multum ex se distrahant, ut v. g. deambulatio, collectio florum, ablutio manuum, se vestibus induere &c., hinc est quod talia agens, & simul recitans cum attentione ad verba, & cum intentione saltem generali colendi, laudandique Deum, præcepto satisfacit, Tract. 16. cap. 3. num. 25. Si quis involuntarie, & præter intentionem distrahatur, certum est quod satisfacit. Si quis advertens se in recitatione distrahi, valde negligenter se gerat, non advertat tamen se ab oratione distrahi, etiam certum est satisfacere. num. 26. Si quis etiam voluntarie distractus recitet Officium, cum animo tamen adimplendi præceptum, & cum attentione ad verba ne erret circa illa: vel non advertat, ita se rapi, ut etiam ab hac debita exteriori recitatione impediatur, satisfacit præcepto recitationis; non enim requiritur attentio ad Deum, vel ad sensum verborum, sed ad verba; nec requiritur attentio actualis formalis, sed sufficit actualis virtualis, qua quis incipit recitare cum animo Deum orandi, & laudandi, quæ minime retractatur, nisi per expressum actum oppositum, vel per actionem incompossibilem, ut esset disputatio, confabulatio, studium &c. num. 28. &c.

129. Causæ excusantes a recitatione Officii sunt quatuor: infirmitas gravis: repentina occupatio: impotentia sive extrinseca, sive intrinseca: & legitima dispensatio. Qui aliqua ex his causis excusatur, ad nihil tenetur, nec ad alias præces, loco Officii recitandas, nec ad aliud opus pium subrogandum. Tract. 16. cap. 3. num. 33. Quando infirmus aperte videt, vel bona fide credit, se sine magno incommodo recitare non posse, non indiget Medici, Superioris, aut Confessarii consensu ut excusetur. Etiam si infirmitas ex propria culpa contracta sit; immo etiam cum animo se eximendi a recitatione Officii, liberat, & exenat ab obligatione recitandi. num. 34. Levis infirmitas, v. g. levis dolor capitis, aut stomachi, febris tertiana, aut quartana non multum assilgens per majorem diem partem a recitatione non excusant. In hoc autem attendenda est infirmi habitudo; quæ enim in corpore valido levitia sunt, graviora reputantur in ægroto; nec semper requiritur ad excusandum quod ex recitatione timeatur grave damnum; sed sufficit quod infirmus credat inde proventuram aliquam vel stomachi crudelitatem, vel capitis gravedinem. Estiam tempore convalescentiæ potest per aliquot dies a recitatione eximi, ratione imbecillitatis; etiam si per notabilem diem partem ad solatium confabulationibus vacet, vel aliquem librum legat, non ob id obligabitur ad Officium. num. 35. Qui dubitat an infirmitas sufficiat ad excusandum, potest vel Medici declaratione, vel Superioris dispensantis iudicio se submittere, aut viri prudentis opinioni. Si his omnibus præmissis adhuc dubius sit, an recitare teneatur, fiat per lege possessio; si vero dubitet an recitatio graviter officere possit, recitare nec tenetur, nec potest. num. 36.

130. Gravis occupatio honesta, & necessaria, quæ commode in aliud tempus differri non possit sine scandalo, vel peccato, aut gravi damno sui, vel proximi, excusat a recitatione Officii. Obmerum quotidianum studium non statim sufficiens excusatio. V. prop. 21. ab A-

lex. VII. damnatam. Si occupatio prævideatur, & recitatio sine notabili incommodo possit anteponi, aut postponi, id fieri debet. Tract. 16. cap. 3. nu. 37. 38. Ob impotentiam intrinsecam, cæci vel caligantes, nisi memoriter Psalmos, vel saltem majorem Horarum partem sciunt, excusantur. Surdus aut surdader, si solus recitare possit, minime excusatur. Ob impotentiam extrinsecam excusatur a recitatione qui non habet Breviarium, si talis carentia fuit illi involuntaria, & adhibuit debitam diligentiam ad aliquod Breviarium inveniendum. Si vero voluntaria fuit, quia illud providere neglexit; vel quia navigatorus, aut iter facturus reliquit, aut projecit prævidens se aliud non habiturum, non solum peccavit in causa, sed & omnes omissiones illi imputantur, nisi antequam omissiones sequantur, facti paniteat. nu. 39. 40. Tandem legitima dispensatio ab Officii divini recitatione excusat. nu. 41. Probabilis est, eum qui qualibet excusa solus recitare nequit, teneri cum scio recitare, si eum commode habere possit; sed non tenetur eum stipendio quærere. num. 44. Qui nequit totum Officium recitare, tenetur ad partem quam potest. num. 48. V. prop. 54. damn. ab Innoc. XI.

131. Possunt Regulares ex privilegio Leonis X. minoribus concessio, mentaliter tantum, sine prolatione vocali verborum recitare ea, quæ sub silentio, seu secreto dicuntur tam in Horis Canonicis quam in Missa, (exceptis verbis consecrationis: ) quod privilegium in privata recitatione Officii extenditur ad totum Officium, ita quod totum mentaliter dici possit. Et hoc privilegium minime revocatum est. Tract. 16. cap. 3. nu. 51. 52. Regulares occupati, vel impediti prædicatione, confessionibus, lectionibus, vel studiis sacre Theologiæ, vel sacrorum Canonum: salutis animarum, vel infirmorum servitio incumbentes, dispensari possunt a suis Superioribus in recitatione Officii divini, ita ut satisfaciunt recitando septem, vel ad minus sex Psalmos, & septies Orationem Dominicam,

& bis Credo: Graviter vero ægrotantes semel Orationem Dominicam, & septies salutationem Angelicam omnibus Horis Canonicis satisfacere possunt. Infirmi, & etiam senes, & valedudinarii, qui tenentur ad Horas Canonicas, satisfaciunt recitando aliquas, vel id quod suis Confessarii visum fuerit. Ita ex privil. Clem. VIII. & Mart. V. His, & aliis privilegiis infra referendis locus datur quando occupationes, vel alie cause ex se non sufficiunt ad excusandum. num. 55. 56. 58.

132. Possunt Regulares Officia feriarum, quæ sunt prolixiora anticipare iis diebus quibus vacant, & Officia festiva breviora reservare pro diebus quibus sciunt se fore occupatos. Recitantes cum male pronuntiantibus, aut senibus, qui ita pronuntiant, ut multa non intelligantur: vel non audientes recte, quæ ab alio dicuntur ob distantiam, strepitum, vel aliam causam non tenentur repetere, que non audierunt, sed quomodolibet audiant, suæ satisfaciunt obligationi, & maxime in Choro. Non valentes bene recitare in Choro ob defectum visus, vel auditus, si quid Horarum sic omitant, satisfaciunt recitando in sine unum Psalmum, vel Pater & Ave. Item satisfaciunt Officio divino, etiam si recitent sedendo, ambulando, verba non integre proferendo ob negligentiam, imperitiam, vel defectum linguæ, ita ut quomodolibet recitent, etiam male pronuntiando, vel cum animi distractione, dummodo non cum plena advertentia, nihil repetere teneantur. Item rationabili causa interveniente, possunt recitationem Officii divini commutare in Pater noster Lactorum, pro cuius privilegio usu non est necessaria licentia Prælati, aut Confessarii. Ita Leo X. Innoc. IV. & VII. Tract. 16. cap. 3. num. 59. 60. 62.

## §. IV.

*De distributionibus quotidianis.*

133. Præbendatus per tres, vel quatuor dies tantum, ultra tres menses sibi a jure concessio, absque legitima causa Choro non assistens, graviter non peccat, dummodo pro illis diebus distributionibus cedat: si vero ultra tres, vel quatuor dies in anno supra trimestre sine legitima causa absit a Choro, etiam si distributionibus cedat, juxta verior sententiam graviter peccat: & si prævideat quod ob suam absentiam in Choro Officium omittetur, aut cum debita solemnitate non persolvetur, etiam ex hoc capite si absit, mortaliter peccat. Si distributionibus, quas non assistendo amittit, sibi intemper usurpare audeat, addet supposita gravitate materiae, peccatum mortale contra justitiam. *Tract. 16. cap. 4. num. 1. 3.* Præbendati ex rigore juris tenentur in Choro canere, seu recitare juxta suarum Ecclesiarum usum: ex consuetudine tamen legitime introducta satisfaciunt suæ obligationi, & distributiones lucruntur assistendo, & sua Officia præstando, Ministris, & Capellanis presentibus. *num. 4. 5.* Qui dormiendo, legendo, ridendo, confabulando Choro assistit, distributiones non lucruntur. *n. 7.*

134. Ante omnem Judicis sententiam tenetur distributiones restituere, qui Choro non assistit. Ex Tridentino Præbendati, qui ultra tempus a jure permilsum Choro non assistunt, pro primo anno, & prima vice privandi sunt dimidia parte fructuum beneficii: secunda vice omnibus fructibus: tertia vice ipsomet beneficio; quæ privatio est sententiæ ferendæ. *Tract. 16. cap. 4. num. 8. 9.* Nisi particularis lex, vel consuetudo obstit, distributiones, quas absentes amittunt, lucruntur interessentes, & his accrescunt: Sed hoc intelligendum est tantum de distributionibus ordinariis, & quæ ob solam absentiam a Choro amittuntur. *num. 10.* Probabilius est legiti-

me impeditos non lucrari absentium distributiones. *num. 11.* Præsentes, quibus distributiones accrescunt, (sive loquamur de amissis ob absentiam præsentem, sive de amittendis,) eas nec licite, nec valide remittere, aut donare possunt: qui vero eas jam recepit, licite, & valide donare potest; si omnino gratiose, & libere fiat. Potest etiam quilibet super distributiones sub dubio debitas transigere; hoc enim nullibi prohibetur. *n. 12. 13.*

135. Gravis infirmitas, etiam ex propria culpa, contracta excusat Præbendatum ab assistentia in Choro, licet aliis non esset solitus assistere; nisi infirmitas contracta esset, dum abiens erat absque legitima causa a loco residentiae. *Tract. 16. cap. 4. num. 15. 16. 17.* Cæcus, aut surdus a residentia, & assistentia minime excusatur. *num. 18.* Quando ex assistentia in Choro imminet grave damnum vitæ, salutis, honoris, aut fortunæ, tunc iusta, & rationabilis necessitas adesse judicatur, excusans ab assistentia in Choro. Quare qui ex consilio Medici absit ad evitandum salutis grave detrimentum, propter vanc incisionem, propter sumptum medicamentum, propter balnea licipienda, ad aërem nocivum effugiendum, ad vires recuperandas: qui abit ad consulendum peritissimum Medicum: qui ob senectutem commode assistere nequit, quod regulariter accidit in septuagenariis: qui detinetur, aut ab hostibus capitur, quando apud hostes commoratur, ac per eum non stat quin redeat: qui absit ob timorem pestis: qui venit a loco infesto &c. Et similes ab assistentia in Choro excusantur, & necum beneficii fructus, sed & distributiones percipere possunt, præcisa qualibet in contrarium consuetudine. *n. 19.*

136. Qui detinetur ne assistat, quia verb. grat. carcere inclusus, aut carcerari timeat, vel exul est, aut excommunicatus, dummodo ablovi procuret, nec dederit causam detentioni, non amittit distributiones. Qui iniuste fructibus, vel distributionibus privatus fuit, probata

sua innocentia, eas recuperare potest, & debet. *Tract. 16. cap. 4. num. 20. 21. 22.* Qui absit a Choro ob evidentem utilitatem propriam, vel etiam universalis Ecclesiæ, beneficii fructus, & distributiones lucruntur *num. 23. 24.* Præbendam habens, cui est annexa cura animarum, Prebentiaris, & qui ejus vices supplet, ejusque Coadjutores designati, dum suis muneribus incumbunt, distributiones lucruntur, & fructus. Sic etiam Magistralis, & Lectoralis. Occupati in his muneribus, & Ecclesiæ negotiis non tenentur tempus prævenire, ut Choro assistant. *num. 26. 27. 31. 32. 33.* Occupati in obsequium Episcopi, ut sunt ejus Vicarius, familiares, examinatores synodales, & Visitatores, Administratores locorum, & beneficiorum exactores, & duo illi Canonici, qui possunt ex jure in servitium Episcopi deputari, quando sunt his ministeris occupati, si absint a Choro, lucruntur quidem fructus beneficii, non vero distributiones, nisi forte Præbenda alios fructus non habeat præter distributiones: aut nisi oppositum ex privilegio, aut consuetudine habeatur. *num. 34.*

137. Absentes causa studiorum non lucruntur distributiones, nisi adit consuetudo. Si beneficium solis distributionibus constet, eas, dempta tertia parte, lucruntur. In publicis Academiis studentes, vel docentes Theologiam, Jus Canonicum, Logicam & Philosophiam fructus beneficii lucruntur; non vero distributiones, nisi adit consuetudo. Si beneficium solis distributionibus constet, eas ut supra dempta tertia parte lucruntur. *Tract. 16. cap. 4. num. 35. 36.* Ut docentes gaudeant hoc privilegio, sufficit quod publice doceant, etiam absque stipendio, & Cathedrali, si tamen ad hoc sint deputati ab Universitate, vel Collegio Doctorum. *num. 37.* Ut studentes, in absentia fructus beneficii percipiant, debent majori parte anni in Universitate commorari, ibique diligenter studere, & scholas frequentare; & ibi ex licentia Episcopi manere. *num. 38.* Probabilius est Parochos studiorum causa a suis residentibus abesse

non posse. *nu. 39.* Tempus a jure Studentibus concessum, ut abesse possint causa studiorum, est septennium. *num. 40.*

138. Nullus præter Summum Pontificem potest ad longum tempus in residentia dispensare, ita ut fructus, & distributiones minime amittantur. Probabilius est Episcopum ex justa causa posse cum aliquo, ad breve tempus in residentia dispensare. *Tract. 16. cap. 4. num. 41. 42.* Privilegium non residentium est strictè interpretandum. In privilegio percipiendi fructus non comprehenduntur distributiones, nisi cum Præbenda nullos alios habeat fructus. *nu. 43.* Concilium Tridentinum concedit Præbendatis privilegium ut singulis annis possint per tres menses abesse, causa recreationis, & levaminis, sive hoc tempus continue, sive interpolate sumatur. Medio anno possessionem accipiens pro illo medio anno medium privilegium habet. Tempus vacationis trium mensium potest sibi computare, qui sine causa toto anno, vel majore parte absit. Tempore vacationis qui absint, non solum fructus, sed & distributiones lucruntur. *num. 45. 46.*

47.

139. Fundator beneficii & licite, & valide statueret potest, ut plusquam per tres menses Præbendati abesse possint, & nihilominus fructus, & distributiones lucrantur. Episcopus vero cum Capitulo, nec valide, nec licite id statueret potest. *Tract. 16. cap. 4. num. 50.* Si post Concilium Tridentinum alicubi introducta sit consuetudo legitime præscripta, vel vacationis majoris quam trium mensium, vel lucrandi distributiones, tempore vacationis, vel alio tempore quo est quis excusatus legitime, sed non ex titulo infirmitatis, necessitatis, aut Ecclesiæ utilitatis, ea Præbendatus tuta conscientia uti potest. Quare consuetudine firmari potest, quod Præbendati quatuor mensibus abesse possint. Quod Canonici tempore divinorum Officiorum Missam in eadem Ecclesia celebrantes, præstes reputentur ad distributiones lucrandas: Quod tempore vacationis quotidianæ distribu-

tionem lucentur: Quod jubilam absentiam habeant; qui per 40. annos Ecclesie inservierunt, etiam si fortes, & robusti sint: Quod Canonici non sint obligati Matutinis interesse cum nocte dicuntur: Quod obligationi Chori satisfaciatur, qui per alium assistit; & quod unus Prebendatus pro alio assistat, eo tempore tamen; quo non est obligatus Officiis assistere: Quod Canonici Prebendam fructus lucentur, paucis diebus in anno, vel singulis diebus, una duntaxat ora Choro assistendo; non vero quod una tantum hora assistentes reliquarum distributiones lucentur: Quod duo, vel tres dies vacationis redeuntibus ex negotiis Ecclesie utilis concedantur, cum laceratione distributionum, ut quietant; & duo, vel tres dies profecturis pro preparatione ad iter. n. 51. &c.

## TRACTATUS XI.

*De Officiis ad iudicium spectantibus.*

## PROÆMIUM.

1. **P**ost ea quæ de quibusdam Ecclesiasticorum obligationibus dicta sunt in duobus tractatibus præcedentibus, oportune subiungitur tractatus de officiis ad iudicium spectantibus: nempe de Iudice, de Accusatore & Denunciatore, de Fessibus, de Advocato, Tabellione, & Procuratore, & denique de reis: in quo omnium istorum munera, & obligationes referuntur, & recti iudicii tum Ecclesiastici tum secularis norma traditur pro sufficienti Confessariarum notitia, & instructione.

## CAPUT I.

*De Iudice.*

## S. I.

*De Iudicum diversitate: Et de iurisdictione, cæterisque in Iudice requisitis.*

2. **F**orus est exercendorum litium locus. *Causa est Materia, Et Origo negotii discussionis examine nondum patefacta: quæ dum proponitur, causa est: dum discutitur, est iudicium: dum finitur iustitia. Iudicium est legitimus actus duarum personarum Actoris, Et Rei, super eadem questione, sub eodem Iudice tractata.* Sumitur etiam aliquando iudicium pro sententia, quam profert Iudex, juxta illud Psal. 93. Quoad usque iustitia convertatur in iudicium. Tract. 29. cap. 1. num. 1. Causa dividitur in Ecclesiasticam, & sæcularem. Ecclesiastica est, quando persona, vel materia de qua agitur est Ecclesiastica: Secularis est quæ versatur circa actus humanos, & morales, qui bonum regimen Reipublicæ, & civilem hominum concernunt; ut de laicorum dominio, tutela, contractibus, &c. nu. 2. Utraque dividitur in civilem, criminalem, & mixtam. Civilis est circa materiam iustitiæ commutativæ, seu distributivæ: criminalis circa materiam iustitiæ vindictivæ: mixta partim est criminalis, partim vero civilis; ut cum in causa criminis agitur non de illius vindicta, sed de satisfactione damnorum; aut quando est de crimine, quod ab utroque Foro punitur, aut prohibetur, ut blasphemia non hæreticalis, perjurium, sacrilegium, sortilegium, usura, sponsalium violatio, & adulterium. Hujusmodi crimina si a seculari committantur, mixti Fori sunt; si vero ab Ecclesiastico, ad Iudices tantum Ecclesiasticos pertinent. In delictis mixti Fori datur præventio; id est ab eo iudice cognoscitur delictum, qui in iudicando prævenit. n. 34.

3. Iudex alius est Ordinarius, ille sci-

scilicet qui habet dignitatem, vel officium, cui ex iure, vel consuetudine, aut præscriptione convenit iurisdictione; quorum quidam sunt supremi, ut Summus Pontifex, Reges, alique Principes absoluti; quidam vero inferiores, qui habent plenam potestatem, & iurisdictionem a Principe, ut sunt Præsides Conciliorum, Auditoriarum Regalium Auditores, Præsides Provinciarum, Locorum Rectores. Alius est delegatus, cui ex mandato Principis, vel ex Iudicis Superioris commissione causa committitur; & sic habet tantum iurisdictionis utrum, vel generaliter commissum ad omnes causas, vel solum pro certa causa. Alius est Arbitrator seu compromissarius, qui solum habet iurisdictionem ex partium voluntate; unius sententiæ utraque pars stare tenetur sub aliqua gravi pœna ab ipsis partibus constituta; & hic iudicare tenetur juxta leges. Alius est Arbitrator, qui ex partium consensu eligitur, ut causam cognoscat, & amicabiliter dirimat; & hic non tenetur ferre sententiam servato ordine juris, sed pro arbitrio juxta æquitatem juris naturalis. Alii sunt Iudices pedanei, qui licet sint ordinarii, solum tamen cognoscere possunt de causis minus infamis. Tract. 29. cap. 1. n. 5. 6. 7.

4. Iudex ergo ordinarius is est, qui creatur a Principe supremo, communitate vel Republica non habente Superiore: vel cui confertur universalitas causarum ab habente potestatem creandi Iudicem ordinarium: & qui habet dignitatem, cui annexa est iurisdictione, ut supra dictum est. Summus Pontifex, Patriarcha, Primas, Archiepiscopus, & Episcopus possunt creare Iudices ordinarios; Pontifex in tota Ecclesia, cæteri vero in suis Provinciis, & Diocæsiis. In Ordinibus Regularibus, Generales, Provinciales, Priors, cæterique supremam auctoritatem habentes in Monasteriis, & Domibus Regularibus quocunque nomine appellentur, sunt Iudices Ordinarii. Vicarius Episcopi, & Vicarius Capitali, Sede vacante, habent iurisdictionem ordinariam. Tract. 29. cap.

1. n. 8. 9. Iurisdictione, & potestas quinque modis acquiruntur: ratione muneris, vel Officii: ratione delegationis, vel subdelegationis: ratione delicti in alieno territorio commissi: ratione injuriæ subdito alterius Principis irrogatæ, quando delinquentis Princeps renuit, aut negligit vindicare: & tandem ex consensu partium in Arbitrium, vel Arbitratorem. Privilegiatus debet iudicari a Iudice Territorii, in quo crimen commissit; exceptis iis qui immediate Sedi Apostolicæ subjiuntur. n. 10. 11. 12.

5. Gravior peccat, qui sine aliqua ex prædictis iurisdictionibus aliquem reum iudicat; & per se loquendo talis sententia irrita est. Tract. 29. cap. 1. num. 13. Sive Iudex sit ordinarius, sive delegatus, si exercet munus cum titulo colorato, & errore communi, & alias non adest impedimentum aliquid juris divini, (ut si esset mentecaptus: si eximia vir putata ad Pontificatum assumeret: si non Sacerdos abolveret: ) Omnia per eum acta valida sunt, etiam quoad forum internum. n. 14. 15. Tyrannus proprie talis ille est, qui Reipublicam tyrannice invasit, & nunquam processu temporis libero consensu in Regem, &c. admissus est. Qui vero regnum tyrannice occupavit, sed postea a populo ut proprius Rex sponte admittitur, Tyrannus non est: similiter nec qui legitime Regnum obtinuit, sed tyrannice contra leges gubernat. Tyrannus proprie talis mortaliter peccat jus dicendo: leges tamen iustæ ab eo latæ validæ sunt, & obligant in conscientia. num. 19. 20. Iudices quoque ab eo constituti non peccant sententias iustas ferendo, dummodo tyrannidem non foveant. n. 21.

6. Iudices laici nequeunt Ecclesiasticas personas iudicare, neque de Ecclesiasticis causis cognoscere. Tract. 29. cap. 1. num. 22. Excommunicatus virandus nullo modo valet jus dicere, & sententias ferre, & omnia ab eo gesta irrita sunt: excommunicatus vero toleratus, si a litigantibus non opponatur exceptio, valide actus iurisdictionis exercet; immo si a fidelibus ad id requiratur, etiam licite,